



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Corpus Juris Canonici**

**Gregor <XIII., Papst>**

**Coloniae Munatianæ, 1665**

XXIV. Communia tam majorum, quàm minorum ordinum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

& baptizatos sacro linire chrismate, & virgines Deo dicare, Presbyteris conceditur. Ecclesias vero erigere, consecrare, reconciliare, sacrum chrisma consecrare, Clericos ordinare, excommunicare, penitentes publice reconciliare, solis Episcopis reservatur.

DE IIS, QUI IN SACRIS SVNT CONSTITUTI. TITVLVS XXII.

In sacris constituti sunt Diaconi, & Subdiaconi: & Diaconi debent Episcopum custodire, sacerdotibus celebrantibus assistere, novum testamentum predicare: Eucharistiam vero praesente Episcopo vel Presbytero, populo erogare non possunt. h. d.

Sicut autem Episcopis Presbyteri, ita etiam b utrifque debent obedientiam Diaconi: ad quos Episcopum predicantem ab infidiis custodire pertinet, ne aut ipse quoquo modo laedatur, aut divina verba per detractatores polluantur. Sacerdotibus quoque celebrantibus e in omnibus assistent, Evangelium ad populum praedicabunt. Sed nec baptizare d praesente Episcopo, aut Presbytero, nec Dominici corporis Eucharistiam populo erogare audent debent, nisi praedictis omnibus longius fortasse constitutis, necessitas ad id extrema eos compellat.

Primitiva ecclesia non habuit Subdiaconos, & apud antiquos Subdiaconatus non reponitur inter sacros ordines: sed postea & u ordo inter sacros capus est haberi: & Subdiaconus potest eligi in Episcopum. h. d.

Subdiaconos e licet & Ecclesia primitiva legatur habuisse, tamen ordo apud antiquos inter sacros non annumerabatur: paulatim tamen post aliquot temporum curricula coeptus est & subdiaconatus inter sacros ordines reponi, eisque ad similitudinem tam Presbyterorum, quam Diaconorum continentia f fuit imperata, Cumque a multis, an in Episcopum Subdiaconus eligi valeret, hauriretur, novissimè g post Urbanum Innocentii processit constitutio, quae, ut is quoque in Episcopum libere eligi valeat, declaravit a statuit.

Circa qua versetur officium Subdiaconi. h. d.

Diaconum h igitur Subdiaconus subsequitur: ad quem calicem & patinam ad altare deferre pertinet, & levitis tradere, eisque ministrare. Vreolum quoque, & aquam, manile, & manutergium tenere, Episcopo, Presbyteris, & Levitis pro lavandis ante altare manibus aquam praebere.

Subdiaconus potest quis ordinari in decimo octavo anno, Diaconus in vigesimo, Presbyter in vigesimo quinto. h. d.

Sicut autem Subdiacono minus creditur, quam Diacono: & Diacono minus, quam Presbytero committitur: ita ad Subdiaconatum minor aetas, quam ad Diaconatum, & ad Diaconatum minor, quam ad presbyteratum suffragatur. Poterit igitur hodie i quis, nisi aliud Canonum obstat impedimentum, decimo octavo natus anno ad primum sacrum ordinem, vigesimo ad secundum, ad Presbyteratum vigesimo quinto promoveri.

Proprie sacerdotes appellantur qui Eucharistiam conficiunt, improprie etiam Diaconus & Subdiaconus.

Diximus autem Diaconum & Subdiaconum non esse sacerdotes, proprietatem sermonis attendentes. Proprie k enim sacerdos is est appellandus, cui sacrificium corporis & sanguinis Domini in altari confice-

a d. can. quatuor. dist. 61. & can. i. vers. ad Episcopum. 23. dist. 7. b Can. Diaconi septem. 4. ut regitur. dist. 93. & can. 19. c Can. i. vers. ad Diaconum. dist. 25. d Can. constat baptismi. de consecrat. dist. 4. e c. a multis. extr. de arate & qualis. f Can. i. dist. 28. g d. c. a multis. extr. de arate & qualis. h Can. i. vers. ad Subdiaconum. dist. 25. i Clem. fin. de arate & qualis. k Can. i. vers. sacerdos. dist. 21.

re permittitur. Ceterum & ipsi interdum sacerdotes appellantur, sed per abusionem. Vidimus haec de iis, qui in majoribus sunt ordinibus constituti: nunc videamus de iis, qui in Ecclesia Dei minoribus sunt ordinibus insigniti.

DE IIS, QUI SVNT IN MINORIBVS ORDINIBVS CONSTITUTI. TITVLVS XXIII.

Minore ordines sunt Acolythatus, exorcistatus, lectoratus, & ostiariatus. hoc dicit.

Vni igitur in Ecclesia alii minores ordines, qui sine sacramentali unctione, sola Episcopi benedictione, cum quadam vasorum vel indumentorum distributione, praestantur: ut sunt, Acolythus, Exorcista, Lector, Ostiarius. Acolythus a est is, ad quem preparatio luminum, & qui cereum (a quo nomen quoque ducit) deferre debet, quique suggesta pro Eucharistia subdiaconis preparat. Exorcista b is est, qui exorcismos memoriter retinere debet, manusque super energumenos & catechumenos in exorcizando imponere. Lector e autem is appellatur, qui lectiones debet pronunciare, & ea, quae Prophetae vaticinati sunt, populis praedicare. Ad Ostiarium d pertinent claves Ecclesiae, ut laudat & aperiat templum Dei, & omnia quae sunt intus extraque, custodiat, fideles recipiat, excommunicatos & infideles provido iudicio repellat.

Psalmista est minor ordo, & potest conferri a solo presbytero. hoc dicit.

Et psalmista, id est, Cantor, qui absque scientia Episcopi e, presbytero solum iubente, officium suscipit cantandi: qui & ipse, licet apud antiquos dubitatum fuerit, inter minores ordines coeptus est annumerari f.

Constituti in majoribus ordinibus nullo pacto matrimonium contrahere possunt, sed constituti in minoribus possunt: sed si contrahant, privantur beneficiis & dignitatibus Ecclesiasticis. h. d.

Horum autem & sacrorum valde dispar est conditio: siquidem illis ita est continentia imperata g, ut nunquam ad matrimonium aspirare valeant: his autem, si ad superiores ordines proveli noluerint, matrimonium contrahere minime interdicitur: sed eo casu non solum ad sacros ordines, & Ecclesiasticas dignitates, & administrationes admittendi non sunt: sed etiam h beneficiis, quae unquam forte habuerint, privandi erunt: nam nec ea sine pravo exemplo possunt & gravi scandalo retinere i: & tales bona Ecclesiastica dilapidare solent. Hucusque singulariter tam de majoribus ordinibus quam de minoribus breviter tractatum fuit: exponamus nunc aliqua, quae tam majorum ordinum, quam minorum, sunt communia.

COMMVNIA TAM MAIORVM, QVAM MINORVM ORDINVM. TITVLVS XXIV.

Memores debent Majoribus exhibere reverentiam, majores vero minoribus amorem & charitatem. h. d.

In primis admonendi sunt ii, qui minori sub ordine constituti sunt & officio, ut iis, qui aut ordine praecelant, aut officio, reverentia & obedientiam k exhibeant, nec per temeritatem alter alterius partes sibi vindicent. Majores quoque meminerint, se majores esse, no dominos: & ob id inferioribus non tanquam subditis dominantur, sed

a Can. i. 4. ad acol. dist. 25. b d. can. i. 4. ad exorcistam. c d. can. i. 5. ad lectorem. d d. canon. i. 5. ad ostiarium. e can. psalmista. dist. 23. f gl. in vers. psalmista. can. i. 21. dist. 7. & can. 17. vers. ad psalmist. 25. dist. 21. g dist. 26. & 32. per totum. h Can. i. c. quod ad. & ca. diversis. extr. de cler. conjug. i c. cum decorem. extr. de cleric. conjug. k Can. a subdiacono. dist. 27. gl. 2. c. ad aures. extr. de temp. ordin.



quasi clericos honorent, & diligant: & tales sint, qui non solum praesint, verum etiam profint.

*Ordinatores debent instruere ordinandos in divinis. h. d.*

**I**tem sub gravis ultionis comminatione ex ordinatione generalis Concilii debent Episcopi promovendos in sacerdotes. per seiplos, vel alios idoneos viros super divinis officiis, Ecclesiasticisque sacramentis diligenter instruere, & informare. Sanctius enim (inquit) est paucos bonos, quam multos malos habere ministros: quia, si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam dilabentur.

*Ordinationem praecedere debet diligens scrutinium. h. d.*

**P**raecedat autem ordinationem diligens scrutinium, nec nisi qui tam verbo fidei, quam recte conversationis exemplo, Episcoporum vel populari testimonio probantur, ad ordines admittendi erunt. Ordinatus itaque accipiat secum divinæ legis peritos sacerdotes, & in Ecclesiasticis functionibus exercitatos, qui ordinandorum genus, patriam, ætatem, locum ubi ordinati sunt, si literas callent, si instructi in lege Dei, & ante omnia diligenter investigent, si fidem Catholicam diligenter teneant.

*Examen debet praecedere callationem beneficiorum. h. d.*

**Q**uod & in beneficiorum collationibus observandum erit: qui enim beneficiis Ecclesiasticis praeficiendifuerint, a suo prius Archidiacono examinari debent, & per ipsum postmodum Episcopo praesentari.

*Tam simoniae ordinatus, quam ordinans, sunt puniendi. h. d.*

**I**psi vero quibus talis cura committitur, cavere debent, ne ad cuiusquam gratiam, aut cuiuscunque muneris cupiditate illecti, a vero deviant, ut indignum, & minus idoneum, aut non examinatum ad sacros gradus suscipiendos Episcopo praesentent. Quod si aliter fecerint, & qui indignè accesserit, ab altari removebitur, & qui donum Sancti Spiritus vendere conati sunt, coram Deo jam condemnati, Ecclesiastica dignitate carebunt.

*Quæ tempora in ordinationibus servari debent. h. d.*

**I**gitur & per tres continuos dies diligenter examinentur, & demum sabbatho, qui probati sunt, Episcopo praesententur: Qui tamen secundum diversitatem ordinum, & temporis quoque, servabit diversitatem: non enim omnes ordines quibilibet temporibus conferri possunt: nam Dominicis & aliis festivis diebus unum, aut duos ad minores licet promovere, sed ad Subdiaconatum, nisi in quatuor temporibus, & una & altera statuta die, nulli Episcoporum, præterquam Romano Pontifici, licet aliquos ordinare, nec alicujus loci contraria est admittenda consuetudo. Quod si forte secus factum fuerit, ordinans quidem potestatem privandus est ordinandi: & ordinatus cum charactere & minime dubitetur recepisse, poenitentiam tantum prævia in susceptis ordinibus ministris sustinendus erit.

*Nec uno, nec duobus diebus continuato jejunio duo sacri ordines conferri possunt. h. d.*

**S**ed nec uno die, nec duobus continuato jejunio ad duos quis potest sacros ordines promovere, arbitrariè ordinanti suspensionis imminente poena.

*Minores ordines omnes simul conferri possunt. h. d.*

**D**iversum m statuitur de minoribus, qui omnes vel unica die conferri possunt.

*Cum promotus per saltum, potest, prætermissis ordinibus repetito, dispensari. hoc dicit.*

a Canon. tales. distincti. 23. b Extr. de scrutinio in ord. sacren. c Canon. 2. & canon. Episcopi. distincti. 24. d Canon. quando Episcopus. d. distincti. 24. e Canon. ad hoc nos. vers. & hoc idem. ex de offic. Archid. f Canon. quando Episcopus. §. ipsi autem. distincti. 24. g d. canon. quando Episcopus. §. igitur. h Ca. 1. 2. & 3. extr. de temp. ordin. i C. dilectus filius. extr. de temp. ordin. & Ca. pen. eod. titul. l Ca. literas. extra. de temp. ordin. m De iud. eod. de temp. ordin.

**P**er a saltum vero si promotus fuerit quis solentur ordine prætermissis repetito, ex misericordia ministrare permittendus erit.

*Promotus ad sacros ordines fortivè contra prohibitionem prædictam non potest fieri sacerdos, nisi prius fuerit monachus, & hoc si non contra prohibitionem, quia tunc potest Episcopus prætermissis dispensare, & qui non ordinatus se misit ad divinum, nunquam poterit ordinari. h. d.*

**Q**uod si b fortivè ad sacros ordines quis irregulèr, dispiciendum erit, an prælati sub anathemate præcesserint interminatio: tunc enim nulla ratione ad sacerdotalem poterit ordinem promoveri, nisi regulam huius suscepto laudabilem aliquandiu duxerit vitam, quam secum misericorditer dispensari poterit: alioquin nulla præcedente inhibitione, condigna satisfactione imposita, pro suo arbitrio cum illo poterit Episcopus dispensare. Quod si is, qui nullum adhuc penitus auxilium obtinuit, & divinum aliquod officium exercuerit, & ab Ecclesia erit abiiciendus, & nunquam ordinandus.

*Qui nondum baptizatus ordinatus est, debet baptizari, & rursus ordinari. h. d.*

**D**e eo qui non baptizatus ordines suscepit, valde dubitatum est: de quo post multam tandem discussionem obtentum & constitutum fuit, ut baptizatus iterum ordinetur: & merito: cum enim baptismus & omnium sacramentorum janua sit & fundamentum, & perardificari non potuit, ubi fundamentum defectum.

*Sacros ordines tantum Episcopus conferri, maiores minores alii: & Episcopus qui loco, non dignitate renunciat, majores conferre potest: secus, si etiam dignitate, quia tunc, tam minores conferri. h. d.*

**I**llud postremò omittendum non est, quod inter minores & sacros ordines illa est differentia, quia majores ab Episcopis, minores vero etiam ab aliis quandoque conferuntur. Vnde de eo quæsitum est, qui Episcopus renunciasset, an & quales ordines conferre possit in qua specie obtinuit distinctio, ut si quidem loco tantum quis renunciasset, eos quos ante renunciationem potest, rogatus conferre possit. Quod si non solum loco, sed etiam dignitate renunciasset, minores tantum quæsitum recipere, & in illis deservire, & ad majores, & operari idoneus, poterit promovere. Sane si ab eodem sacros ordines scienter quis receperit, quia indignum se fecit officii non habebit executionem: ubi a nemine non licet (nisi crassa & supina fuerit ignorantia, & licentia præfatis dispensare poterit.

**QUI PROMOVERI NON POSSUNT. TITVLVS III.**

*Tentis quatuor causis sive respectibus qui prohibentur homines ordinari. h. d.*

**Q**uoniam vero præcavere debet, quod vel iniuriari, vel vituperari potest: scicendum est, quoddam esse qui non sunt ad Ecclesiasticos ordines admittendi, quod fieri contingit quatuor ex causis: non enim quis promovetur impeditur ratione subjectionis aut ratione delicti jam patrati, aut suspitione futuri lapsus, aut ob corporis lationem.

*Servus & libertus non possunt ordinari, & servus ordinatus servente domino sit ex hoc liber & ingenuus. h. d.*

**R**atione subjectionis & promovetur impediuntur servi: eos enim, nisi a dominis libertatem consecuti fuerint, nullo debet ordine Episcopus insigniri: libertatem esse debet, qui divinx aggregandus est militia. Quod propter non solum servi, sed nec qui retento obsequio

a Ca. dist. 52. & c. uni. de cleric. per salt. prom. b Cap. 1. & seq. extr. de eo qui sur. ordin. suscep. c Cap. 1. & seq. extr. de cler. non ord. ministran. d Canon. 1. extr. de Presbyter. non baptiz. e Gloss. 2. d. c. 1. f Ca. extr. de ord. ab Episc. g Ca. 1. & seq. extr. de servis non ord.

